

THEOBALDVS AVSTRASIAE REX.



Theobaldus filius fuit Theoberti Austrasiæ regis. Itaq; mortuo patre ipse adolescens adhuc Austrasiam regendam suscepit, & magna gloria administrauit. Is natura erat audacissimus, atque bellorum cupidus. Vnde Alemannos bello prostrauit, & ut Agathius testatur, gentes alias uinciores subiugauit. In ipso etiam belli ardore, quod Romani duces aduersus Totilam Gothorum ducem susceperant, animo agitabat, ut dum Narses in Italia, & Romani simul exercitus labore & solitudine tenerentur, ipse quam maximis posset copijs in unum coactis ad Thraciæ regionem ducaret, atq; omnibus ibi deuastatis, bellum ad urbem regiam Bizantium transferret. Id quod etiam magno animo perfecisset, ni immatura morte abreptus esset. Habebat Theobaldus quoq; Vuachonis filiam, & paternæ uxoris frōrem in matrimonium, ex qua tamē nullos liberos procreauit. Vnde cum septimo regni anno febre ualida laboraret, & mortuus esset, regnum eius ad aui sui fratrem Clotharium Suessionum regem, & Clodo uei primi filium deuolutum fuit. qui illud postea per duces & præfectos gubernauit. Agath. Laz. lib. i. Geneal. Aust.